1

Et dominum tritona ipse putavit aquis — Deus maris

Dum quod par semis ratibus fera prelia nereus — non potuit

Abnuit in liquidis ire pedester aquis

Quicquid et in circo spectatur et amphitheatro

Dives cesarea prestitit unda tibi

naumachia Claudii — Fucinus et pigri taceantur stagna neronis

Hanc norint unam secula naumachiam

Spero me secuturum in libellis meis tale temperamentum ut de illis queri non possit quisquis de se bene senserit: cum salva infimarum quoque personarum reverentia ludant: que adeo antiquis auctoribus defuit ut nominibus non tantum veris abusi sint sed et magnis at mihi fama vilius constet et probetur in me novissimum ingenium. Absit a iocorum nostrorum simplicitate malignus interpres. nec epigrammata mea scribat. Improbe facit qui in alieno libro ingeniosus est. Lascivam verborum licentiam id est epigrammaton linguam excusarem si meum esset exemplum sic scribit catullus, sic marsus sic pedo sic getulicus sic quicunque perlegitur. Si quis tamen tam ambitiose tristis est ut apud illum in nulla pagina latine loqui fas sit, potest epistola vel potius titulo contentus esse. Epigrammata illis scribuntur qui solent spectare florales. Non intret catho theatrum meum aut si intraverit spectet. Videor mihi meo iure facturus si epistolam versibus clusero.

Ad Cathonem

Nosses iocose dulce cum sacrum flore

Festosque lusus et licentiam vulgi

Cur in theatrum catho severe venisti

An ideo tantum veneras: ut exires

Ad lectorem de se arroganter

Hic est quem legis ille quem requiris

Toto notus in orbe martialis

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG

BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA

© Biblioteca Apostolica Vaticana

http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_1698/0014

MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG